III.

Et Pater Filio in Feudo, mortalitatis ordine fortean inverso, non obstante *I. Feud. 13. & 2. Feud. 50.* succedit quo de conferant. Cl. Dn. Præsidis Notæ in Dn. Stryckii Examen Juris Feudalis Cap. XVI. qu. 2. 3. 4. & 5.

IV.

Insinuationem Testamenti coram Camera Domaniorum, ob deficientem jurisdictionem non subsistere, existimamus.

V.

In controversiis de possessione aut rei proprietate, non tantùm locus *rei sitæ*, sed & *Domicilii Rei* forum tribuit.

VI.

Legatum Testamento relictum in monetâ, juxtà valorem, tempore, non Testatoris mortis, sed conditi Testamenti est exsolvendum.

XXVIII.

DISSERTATIO DE HODIERNA AUTORITATE ET RECIPROCA JURIS CIVILIS ET STATUUM IMPERII POTESTATE

Pro Licentia defensa à

GEORGIO HENRICO WILLIO Spirensi.

HEIDELBERGÆ, 1710.

I. N. 7.

PARS PRIMA.

CAPUT I.

§. I.

DE Autoritate Juris Romani Scripturus, operæ pretium duxi initii loco ipsius Excellentiam breviter præmittere, ejusdemque dignitatem, si non in totum, tamen in tantum, fugitivo saltem aspicere oculo, dum eam ad amussim demonstrare, angustia harum pagellarum non permittet.

§. II.

Est verò Jus Civile magnæ autoritatis. Quibus verbis Lauterbachio, JCto, famâ suâ majori, compendii sui initium facere, & his verbis Excellentiâm ejus demonstrare, æquum visum est, & quidem non abs re, nam non tantum ejus, sed & reliquorum; haud infimæ Classis Scriptorum testimonio, totius ferè Europæ populorum consensu, ob æquitatem & Justitiam suam receptum est, & pro communi quasi jure, utpote ex Juris Naturæ & Gentium præceptis collectum, reputatur, & in Germaniâ tantam habet Autoritatem ut qui Lege nititur Justinianeâ, licet ejusdem observantiam non probet, tamen causam tamdiu fundatam habeat, donec adversarius jus posterius contrarium monstret, Lauterbach. *Conclus. Forens. Ex 1. Concl. 1.* Mev. P. 2. Dec. *99. & P. 4. D. 77.*

§. III.

Non solum ergo Lauterbachius, Jus hoc suo encomio condecorare, sed & permulti, antiquiores & recentiores, eruditione & doctrinâ celeberrimi, tam Ecclesiæ quam Curiæ Antistites, hoc confirmare non dedignati sunt, hinc etiam plerosque magni nominis JCtos ingenium suum ad enodandas Romanorum Leges unicè applicare videmus, nec proinde adulationi affini credi debet insigne elogium, quo acerrimus alias Scriptorum censor Laurentius Vall. *in Præf. in 3. libr. Eleg.* Jus Romanum ornavit, dicens; Perlegi proximè quinquaginta Digestorum libros, ex plerisque Jure Consultorum voluminibus excerptos, & relegi cum libenter, tum vero quadam cum admiratione; primum quod nescias, utrum diligentiâ ne an gravitas, prudentia an æquitas, scientia rerum an orationis dignitas, præstet, & majori laude digna videatur esse. Deinde, quod hæc ipsa ita in unoquoque illorum omnia sunt intelligi egregia & perfecta, ut vehementer dubites, quem cui præferendum putes. Nec minus illustre est Arthuri Duck, *JCti Angli de Usu & Autoritate Juris Civilis, L. 1. c. 2.* testimonium de juris hujus præstantiâ, ita loquens, Deus pro singulari providentiâ suâ in genus humanum erexit & excitavit Gentem Romanam in Imperii fastigium, ut per eam daret Leges orbi terrarum tam pias, justas, & saluteres, quales nec ab ullo Rege populove datæ fuerunt, nec in posterum dari poterunt.

§. IV.

Splendor vero hujus juris non solum politioris ingenii homines, sed & (quod notatu dignum) infidelium, & barbaros Turcarum illuminavit animos, quos Codicem Justinianeum Stylo Turcico redditum, sanctissime asservare videmus

mus, ad quem tanquam ad Sacram anchoram confugiunt, exinde normam & interpretationem haurientes, reliquarumLegum & Actionum, *Wurms. Ex Juris Publ. 7. Q. 9.* cum multis ibi alleg. Autor. infinitis aliis elogiis est encomiis juris hujus materiam propositam augere possem, sed ob magnam Scriptorum, qui hoc abunde præstiterunt copiam, supersedeo plura addere, ne videar profusè nimis & cum tœdio aliorum his inhæsisse.

CAPUT II.

DE VERO VERBORUM, SIGNIFICATU, DEFINITIONE ET DIVISIONE JURIS.

§. I.

RElictis autoribus, proprius accedendum est ad institutam tractationem, & commodam tractandi rationem, cum vero hæc in scribentis arbitrio posita sit, hinc obiter saltem inspecto nomine, & congruà delineatione demonstrata, rem paulo post uberius persequamur, ne autem laborem illotis, ut ajunt, manibus aggrediar, paucis præmittam definitionem juris. Quod secundum. *L. 1. pr. ff. de J. & J.* est ars boni & æqui, vel juxta Grotium. *L. 1. cap. 1. n. 9. d. J. B. & P.* Regula actionum Moralium, obligans ad id quod rectum est, quæ retineri potest licet Puffendorff. *L. 1. d J. N. & G. cap. 6. §. 4.* eam reprehendat, quomodo porrò sint intelligenda hæc verba, docet *L. 1. §. 1. ff. d. t. & Interpretes Juris Civilis ad d. T. quib. conf. Colleg. Argent. T. d. J. & J. §. 5. seq.*

§. II.

Unde vero nomen juris derivetur, non operæ prerium erit multa disquirere, an vocis origo derivetur à justitià, secund. *L. 1. pr. d. J. & J.* an à justo, secund. Jus Canon. *Dist. 1 c. 2.* vel denique à jure possidendo, *C. 12. X. de V. S.* magna lis est inter Grammaticos & Logicos, quorum argumenta diligentius inquisivit, & juxta præcepta Philosophica examinavit Hunnius. *Resol. Jur. Civ. lib. 1. Tract. 1. Q. 8.* has vero altercationes in locum ineptarum originationum vocum refert Bœkelmann, *ad ff. T. de J. & J. §. 12.* cui conferri meretur Franzk. *ad ff. hoc Tit. n. 43. seq.*

§. III.

Homonymia, Synonimia, aliisque vocum acceptionibus, prolixoque verborum luxu & apparatu materiam accumulare supersedeo, ratione à scopo, qui re-

ſpici ſolet, petita, nam veræ non ſimulatæ addictus Philoſophiæ, non operoſè ſectabor verborum aucupia, contentus ſi pro ingenii viribus rerum enodavero plagas, nec ulli cuipiam litem movebo, qui vel ex Logicorum vel Criticorum Regulis aliam verborum originationem & interpretationem aſſeruerit; Lectore interim etymologiæ cupido miſſo tum ad Lexica Philologica, tum Juridica, quibus addatur celebertimus Bœcklerus, *Inſt. Politic. Lib. 2. Cap. 3.*

§. IV.

Sequitur ergo ut materiam propoſitam plenius conſideremus, proponentes ſcil. Diviſiones Juris, quod vix felicius ſuccedet, quam ubi ipſam rem penitius introſpexerimus, itaque paulo altius repetendum præmittendumque videtur, Jus Juſtinianeum & Actiones inde deſcendentes, ratione cauſæ Efficientis diviſas eſſe in *Civiles & Prætorias*, illud jus ex Legibus, Plebiſcitis, SCtis, Principum placitis, & Conſtitutionibus, & Prudentum Reſponſis deſcendit, hoc vero Prætores introduxerunt. Quemadmodum autem Juris *Civilis & Prætorii* diverſa origo, ita diverſus quoque eorum jurium effectus eſt, inter quos præcipuus, quod Actiones Civiles ſint perpetuæ, Actiones autem Prætoriæ annales, ſecundum annuam Eorum Jurisdictionem. *pr. Inſt. de perpet. & tempor. Act.*

§. V.

Licet vero Actiones Prætoriæ anno incluſæ ſint, iam ea durationis qualitas in quibusdam iis communicata fuit quâ Civiles gaudent, cujus exempla habemus in actionibus rei perſecutoriis, & quæ bonorum poſſeſſoribus dantur, vid. Frommann. *in Diſſert. de Act. c. 3.* neque in totum procedit Actiones Prætorias pœnales annales eſſe, nam & in hiſce exceptio eſt, uti patet in Actione furti manifeſti, it. Actione de Naut. Caup. Stab. & quæ hiſce ſimiles ſunt, Lauterb. apud Schuz. *T. d. diverſ. temp. præſcr. p. 615.* ſic Actio in factum ſi menſor falſum mod. dix. 30. annis præſcribitur, ex ratione quod ſit principaliter ex negotio geſto, & delictum tantum ſupervenerit, vid. *ad pr. Inſt. d. perpet. & temp. Act.*

§. VI.

Non vero ſtatim actio Prætoria cenſetur, vel à Prætore introducta, quam certis applicavit caſibus, quod ipſi conceſſum erat *per L. 7. §. 1. ff. d. 7. & 7. & §. 3. Inſt. de Legit. agn. ſucc.* quarum Legum vi poteſtatem habebant juſta interpretatione, quoties Lex deſiderabat, Jus Civile ſupplere, corrigere & adjuvare, ſi faciliori viâ ad exitum ducere poterant ea, quæ vel ob nimiam Generalitatem ex æquo

&

& bono restringere vel nimis angustis cancellis inclusa dilatare necessitas desiderabat, Colleg. Argent. *d. l. & l. §. 30.* in totum vero vel expressam Legis sanctionem vel decisionem mutare fas non erat, aliud igitur est dare, aliud introducere Actionem, Oldend. Class. Act. Forens. *Cl. 1. Act. 6 p. m. 43.* sed hæc mittam, unicum adhuc addens, quod tam Juris Civilis quam Prætorii una eademque sit authoritas; idque adhuc procidit licet alter ex antiquis Manuscriptis & Schediasmatibus, equidem rarissimis, leges reperiat aliàs, quoniam hoc jus, longinquâ in Foro receptione & usu, eam quam nunc habet autoritatem accepit, & in quâ formâ, Camera Imperiali Institutâ, Jus fuit inventum, in eâ quoque approbatum, & in hunc usque diem retentum, adeo, ut nemini allegatio ignorantiæ Legis alicujus quicquam proficiat, paucis personis exceptis, uti Militibus, Rusticis, aliisque, Lauterb. Comp. Juris, *Tit. de Condandeb. p 203.* quod vero Stryck *in Notis ad Laut. ibid.* limitat, & an clara Juris decisio hâc de re adsit, dubitat, Conf. Brunnem. *ad L. 1. 11. 12. & ult. C. de Jur. & Fact. ignor.*

§. VII.

Jurium denique in Imperio duplex est ratio, ita ut alia sint *Communia*, quæ in Imperio expresse ab Imperatoribus & Statibus Sancita, vel usu recepta & approbata; universe vigent & vocantur des Reichs gemeine Rechte, Abschiede, Gewohnheiten, alia *Particularia*. Quæ in particularibus Provinciis peculiariter introducta, vel vi superioritatis Territorialis constituta, ut sunt *Statuta*, addi possent & aliæ juris Divisiones sc. in *Civile* & *Canonicum Humanum & Divinum*, *Naturæ & Gentium*, de quibus omnibus integra extant Volumina, quæ, quoniam saltem ex jure Civili stricte sic dicto disserere proposui, nunc mittam, de Jure Canonico hoc addens, quod in Terris Ecclesiæ indistinctè servetur, in Germaniâ vero adhibitâ moderatione quádam, in Terris Protestantium observatur quando Jus Civile vel deficit, vel æquitas Juris Canonici rigorem Juris Civilis vincit, vel quando Juris Naturalis & Divini vestigia imitatur, idque tam in materia Spirituali, veluti causis Matrimonialibus, & Juramentis, quam seculari, ut in Processu, Usuris, aliisque, interim in dubio inter Jus Civile & Canonicum nulla statuenda est differentia, omnes vero, quæ in aprico sunt, differentias peculiari Dissertatione edidit Dn. Stryck. inscript: Differentiæ Juris Civilis & Canonici, annotata simul in Foro observantia & praxi hujus vel istius Juris. Hisce insuper per crebram Status mutationem accesserunt & alia Jura sc: *Publicum*, *Feudale & Militare*, de quibus alii integros scripserunt Tractatus.

CAP. III.

De Proceribus Imperii Romani, & Authoritate Statuum Imperii circa Jus Civile, & de Statutis.

§. I.

QUoniam ultimo Capitis antecedentis Paragrapho variarum Juris divisionum & Specierum mentio facta est, ideo ratio jubet tempora nostra intueri, & Authoritatem Juris, primo Capite tam speciose allatam accuratius examinare, & etiam ex nostro ævo dijudicare; ex dicto vero paragrapho rem hodie Paulo aliter se habere ex variis juris mutationibus & additionibus concludere pronum est, in quantum vero hodie, (salva tam nihilominus Juris Civilis existimatione) à Constitutionibus antiquis tempora nostra declinaverint, ex novâ specierum inductione apparebit, inspectà inprimis Imperii, ejusdemque Statuum Legislatoriâ contra Jus Civile concessa, nam cum non minus hoc, quam aliæ Civiles dispositiones à Majestatis arbitrio dependeant, facile est, vicissim aliquam correctionem, Limitationem, restrictionem vel novam additionem sustineant, liquet vero Causa & ratio horum non nihil ex præcedentis membri §. *Finali*, ubi mentio fit Jurum *Imperialium* & *Provincialium*, quorum illa vocantur Universalia, hæc vero Particularia, seu Statuta, quæ in eo conveniunt, quod utraque ex ordinatione Procerum, Imperii vim & autoritatem acceperint in eo autem differunt, quod universalia non nisi ab Imperatore & Statibus simul in Regno universo, hæc vero non nisâ Statibus particularibus, etiam inconsulto Imperatore latæ, in particulari territorio vigeant.

§. II.

Ut vero Virtus & veritas horum planius innotescat, sollicitos nos esse oportet in Limine tractationis aspicere Causam Efficientem, seu Autores Legum & Statutorum, quod vix felicius succedet quam ubi eorum descrptionem Paulo penitius introspexerimus, quo facilius postea persequamur materiam propositam; ita enim & instituto nostro, & ipsi argumento satisfacere licebit, Causa vero efficiens LL, est voluntas Legislatoris, arg. §. 3. *Inst. de I. N. G. & C.* cujus nominis duplex in Imperio nostro est consideratio, eo enim vel Sacratissimus venit Imperator, vel quisque Status, sive Territorii Dominus, ante disquisitionem vero ad meliorem rei cognitionem præmittendum (1.) est Caput summum, vel Imperator noster, qui est Summus in Imperio nostro Princeps, supremam & Summam

mam habens Majestatem, Potestatem, & inter omnes ubique imperantes supremam dignitatem, qui in Jure dicitur Mundi Dominus *in L. 9. ff. De Leg. Rhod. d. jact. L. 4. c. d. Quadr. Præscript,* quod equidem indistincte affirmari nequit, nec multa contradictione careret, nam allegata *L. 9. ff. d. L. R.* nonsolum est omnium Legum intricatissima, in cujus explicatione optimi ICti valde desudarunt, sed & non credendum est antiquos Imperatores tam crude sibi sumsisse prædicatum Dominii totius terrarum orbis, quod imprimis tunc temporis nemo affectari potuit, interim tamen hujus Tituli usus non inanes secum affert rationes, licet enim nunquam fuerit realis, sed verbalis, neque actuale Imperium omnium populorum denotet, sed illius saltem mundi partis quæ ad imperium pertinet, tam Mundi Dominus est ratione præeminentiæ quà omnibus Mundi Regibus præfertur, Wurms. *Ex. 3. Q. 2.* Imperaror enim Reges subditos habet & Vasallos, de quo vix alius Regum in Occidente gloriari potest, habet Regem Hispaniæ respectu Ducatus Mediolanensis, circuli Burgundici, ditionis Senensis, quæ tanquam Feuda tenet ab Imperatore, Regem Sueciæ respectu Ducatus Bremensis, & Verdensis, item Pomeraniæ &c. Regem Daniæ respectu Ducatus Holsatiæ & Comitatus Oldenburgensis, Regem Bohemiæ, qui quantus quantus est nil nisi Vasallus Imperii est, merito igitur tribuitur Imperatori prærogativa inter Reges Christianos, qui nullatenus controversiam faciunt de primatu honoris, faciunt hoc etiam Barbari & Turcæ, Turcarum enim Sultanus in literis Eum appellat, den fürnehmsten unter den Potentaten JESU itaque in Aulâ Turcicà Legatus Imperatoris præfertur reliquis, imo debetur etiam Imperatori nostro prærogativa præ Turcarum, Sultano, nunc vero instituto introductum est ut Legati utriusque Imperatoris in campo sibi occurrentes manus sibi invicem porrigant atque se in gyrum agant, ad evitandam controversiam de prærogativà.

§. III.

Post Imperatorem tanquam supremum Imperii caput veniunt II. præcipua Imperii Membra seu status, de quibus accuratam & genuinam definitionem afferre difficile videtur, ob altercationes Doctorum Juris publici, cum aliis aliæ placeant definitiones, quas omnes afferre supervacaneum est, nobis breviter ita describere placet, status Imperii sunt qui jus sessionis & suffragii in Comitiis habent, superioritate territoriali gaudentes, Schvveder, *in Introduct. jur. Publ. part. spec. sect. 2. c. 1. §. 3.* conferatur Lampadius, *de Republ. Germ. p. 3. c. 3. §. 1.* aliud quidem requisitum addit Lymnæus, ut scil: etiam Cæsaris, procerumque consensu communi Imperii Matriculæ inscripti sint, *L. 1. C. 7. n. 65.* cui adstipula-

pulatur Wurmserus, *Ex. 1. Q. 16.* seriem etiam Matricularum in medium proferens, sed horum opinio rem non conficit, infallibilis enim & perfecta Matricula non datur, neque Wormatiensis illa, inter omnes optima, vitiis caret, hinc Schvvederi sententia sufficiens erit.

§. IV.

Explicatâ nunc pro instituti ratione Causâ Efficiente seu Legum statutorumque Conditoribus, ulterius procedendum & demonstrandum venit quod Cæsar & status authores sint, tam Legum Universalium quam Particularium, Principes enim & Status Imperii in Territorio suo Leges & Statuta condere & juri Civili derogare posse, omni caret dubio, nam vi superioritatis territorialis, proprio jure & etiam inconsulto Imperatore Leges faciunt, ut subditi juxta illas actiones suas instituant, idque secundum ordinariam Legum distinctionem, dum Leges commode à fine in *Obligantes* & *Permittentes* distinguantur, Titius *Jur. Priv. Rom. Germ. L. 1. C. 3. §. 1. 10. 17.* quà in re quisque Status majorem habet in suò Territorio potestatem, quam Imperator in universo Imperio, quippe qui non nisi statuum consensu Leges condit publicas, uti Recessus Imperii luculenter demonstrant, non obstantibus Legibus civilibus, *L. 1. ff. de Const. Princ. §. 6. Inst. de I. N. G.* C. aliisque, in quibus omnis potestas soli Imperatori tribuitur, quæ tamen nostris moribus centro quodam circumscripta est, nec amplius quod Principi placet (quo nomine semper in jure Imperator venit) Legis habet vigorem, licet in eâ adhuc species antiquæ potestatis & autoritatis remanserit, ut solius Imperatoris nomine obedientiâ & obsequium injungatur. *Reinck. de Reg. sec. & Eccles. L. 1. & 2. C. 2. n. 123.* cujus sententiam suam quoque fecit Eckholt *ad ff. de LL. §. 7. R. I. de Anno 1521. §.* Darauff, *& Anno 1521. §. 1.*

§. IV.

Statuum autem Imperii potestas non pari passu ambulat, nihilominus proprio jure ipsos habere jus Legum condendarum negari nequit, ita tamen, ut aliquando ex conventione cum Statibus Provincialibus ad horum consensum adstricti sint, Philippi *us. Pract. inst. L 1. Ecclog 9.* Eckoldt *ad ff. de LL. §. 8.* Lauterb. *in Dissert. de Consiliis th. 4. & 12.* quod uti in Legibus ferendis, ita & abrogandis vel mutandis observatur Phil. *de Lib. Eccl. 12.* quamvis autem hæ Leges Provinciales juri communi, etiam in Camerà vid. Ord, Camer. *P. 1. Tit. 13. §. 1.* Textor. *Disp. VI. de Jurisdict. Territ. th. 33.* modo statuta legitimè

timè sint condita, publicata, & in usum deducta, nec quid contineant quod non fuit in potestate Legislatoris, Mev. *P. 2. Dec. 74. Part. 3. D. 60.* quamdiu hæc dubia sunt, insistendum juri communi vel Civili, donec Provinciali lege aliud introductum esse probetur. Mev. *p. 2. Dec. 71. & 275. it. part. 4. D. 77.*

§. VII.

Hæc itaque revocant non ad disquisitionem an & quatenus Princeps, postquam vel ipse, vel per Legatum Comitiis interfuit, Leges iis contrarias condere possit? si recte rem consideremus: difficilis & dubio plena quæstio videtur, imprimis quoniam & ipsos ad observantiam Recessuum adstrictos cernimus, quoad Jus Justineaneum res clara est, ibi enim multa reperiuntur, quæ antiquis illius Imperii moribus & statui accommodata, nostris temporibus non conveniunt, hinc ea statum moderno accommodare utique permissum est, Brunnem. *ad L. 1. C. d. Summa Trinit. & ad* L. *2. C. d. 12. ff. Præf. præt. Orient.* In specie quantum attinet Jus publicum, quod sparsim Præsertim vero tribus posterioribus libris Codicis traditur, hodie propter mutatam rationem Imperium administrandi non in omnibus habet utilitatem, Leges vero fundamentales quantum attinet ibi majora se offerunt dubia, & res paulo altioris est indaginis, consultius itaque negativa amplectenda est sententia, sicuti enim illæ Leges Universales non nisi communi Statuum consensu latæ sunt ita semel latæ, amplius displicere non possunt sed iis obligati manent tam Principes quam ipse Imperator, Furstn. *de Jur. suprem. C. 26.* ideoque, siquis v. g. inducere vellet per jus provinciale, monopolia esse licita; contractus fœneratitios in Imperio prohibitos valere, aut subditis competere beneficium Revisionis, sine dubio nihil ageret, Textor, *Disp. VI. de Jure terit. th. 34. seq.* nisi in promulgatione novi juris protestando caveant, quod facere solet Elector Saxoniæ, tanquam summus juris Saxonici protector. Myler ab Ehrenb. *d. Princ. & Stat. Imperii. Part. 2. C. 29. §. 8.* Berg *Resol. LL. obst ad* Laut. *de Const. Pr. Q. 5.* & ab eo cit. Lud. Hugo, *de Stat. Reg. Germ C. 3. §. 19.* Titius *L. 1. C. 3. §. 64.* quæ vero dicta sunt de novâ legis latione, etiam intelligenda sunt, de novæ lgis interpretatione, authentica, Mev. *p. 1. D. 67.* Brun. *ad L. ii. & 12. C. d.* LL.

§. VIII.

Occasione horum quæ modo dicta sunt, examinanda est quæstio, an & quatenus in reliquis admissa sit statutorum extensio, & an argumentum ad similia valeat? quod negat Brunnem. *ad* L. *2. C. Noxal. act.* Brautlach. L. *7. c. 3. §. 6.* Gail. L. *2. Obs. 124. n. 7. & 8.* docentes stricte esse interpretanda, nec eorum

potentiam extra legitimos limites extendendum, imprimis quando juri Communi & Recessibus Imperii contrariantur, Lauterb. *Ex. 1. Concl. 2.* quo casu nequidem ex identitate rationis extensionem admittendam, nam quod est expressum pro omisso habendum, hæc tamen pro parte limitat & extensionem admittit si statutum ita concipiatur, ut Legislator velit tenorem ejus ad similia pertinere Mev. *p. 3. D. 403.* Cui & ego subscribo, his vero deficientibus manet prior Regula, & Camera Imperialis secundum constitutiones Juris Justinianei judicat, quod Assessoribus juramento injunctum est Oro. Cam *P. 1. tit. 23.* Arth. Duck. *de Autorit. Jur. Civ. L. 2. C. 2. §. 8.* qui eod. *cap. §. 14. & 15.* plura huc pertinentia profert, Titius quidem, *de jur. priv. Rom.* passim valde perstringit jus Justineaneum, & *L. 1. C. 1. §. 31.* seq. eleganti methodo multa ostendit incommoda, si quis Juris prudentiæ Germanicæ privatæ, Leges Romanas fundamenti loco ponere velit, interim tamen tam in antecedentibus quam subsequentibus ipsemet fatetur, quod nullum jus ob ubertatem Legum, communia legum naturalium decreta continentium, negotiis humanis melius applicari possit, hinc etiam quam plurimas Germaniæ Gentes, quæ ante quam Germani certo jure usi sunt secundum constitutiones Saxonicas jus dicebant, jam ab iis in quam plurimis Casibus recessisse, & ad jus Cæsareum rediisse cernimus, quod & in ipsis Saxoniæ Electoribus conspicuum est, qui jus saxonicum ad concordiam cum jure Civili, quantum fieri potest redigunt, & interdum rigorem ejusdem, lenitate juris Civilis temperant, uti patet in beneficio Cessionis, quod asperitas illius juris rejecit, ex jure Romano vero admisit, & hac ratione omnes Germaniæ status promulgant statuta, & secundum ea, cum Romanis Legibus conjuncta, jus dicunt, quod etiam in jure Feudali observatur; si casus ex illo jure decidi nequeat, Struv. *S. I. F. c. 1. th. 14.*

§. IX.

Hoc loco autem non inconcinne quæritur, cujnam juris Parti Leges provinciales accommodari possint, Juris Civilis nomine eas venire, nulla nos tenet dubitatio, quamvis non pauci sint, qui hoc jus ad Prætorium referant, Bartol. *in* L. *5. ff. d. V. O. n. 4.* Schneidvv. *ad §. 1. t. de Obligat. n. 5.* sed absque rectà ratione inspectà enim tam Principum quam Prætorum potestate, res ob manifestam differentiam erit clara, supra jam demonstratum est jus eorum temporale, ob temporalem eis concessam potestatem, Principum autem Potestas est perpetua, irrevocabilis & in hæredes transitoria, nec obligantur suis Edictis sicut Prætores, uti contra ex Prætorum Edictis nulla Civilis

vilis actio vel condictio ex lege; ſed ſaltem actio in factum oritur uti Eckolt. *ad ff. T. de LL.* §. *8.* Bachov. *πρῶτα de ſtat. n. 5.* Kulpiſ. *ad Monzamb. p. 2. c. 5. ad* §. *5. p. 77.* præterea Prætores non proprio, ſed ſaltem Imperatoris nomine, præerant Provinciis, Principes vero proprio nomine, omnimodam & perpetuam exercent Jurisdictionem, quæ ne quidem præſente Imperatore ſuſpenditur, Reinck. *d. Reg. Sec. & Eccleſ. L. 1. C. 5. C. 7. n. 3. ſeq.* Hinc etiam Titulo, NOS DEI GRATIA. Utuntur, & ut ſuperioritatem territorialem, eodem, ſi non majori jure quoad ſubditos gaudent, quo Imperator in univerſo Hopp. §. *f. de I. & I.* proinde Obligationes ex novis eorum Sanctionibus ortæ, non ad Prætorias ſed Civiles referendæ ſunt.

§. X.

Huc usque de causà efficiente ſeu Legislatore, Legislatione, Legum vigore, extenſione & Autoritate, ſequitur Legum ſubjectum, quo comprehenduntur Legislatoris ſubditi, vel in perpetuum, vel ad certum tempus ipſi ſubjecti; (dantur enim ſubditi temporarii;) Dn. Hert. *Diſſ. de Colliſ. Leg. 5. 4.* §. *4.* His enim leges præſcribuntur, ad quarum ſcientiam de Jure Civili & Canonico obligantur poſt duos menſes, *Nov. 66. C. 1. & C. 49. X. de ſent: Excommun:* indeque etiam vulgo concludunt Dd. quod Lex & conſtitutiones provinciales non ſtatim atque promulgatæ ſunt obligent, ſed demum poſt duos à promulgationis die menſes, Carpz. *P. 2. D. 101. n. 20.* quem terminum & Elector Saxoniæ obſervat, & Palatinus *in Ord. Provic. Palat. in Præfat.* termino vero hoc elapſo, obligantur ſubditi ad ſcientiam, & ad obedientiam, etiam inconſcientiâ, *Rom. 13. v. 1. ſeq. 1. Pet. 2. v. 13.* nec integrum eſt iis inquirere rationem vel cauſam impulſivam, in rebus enim mere civilibus vel indifferentibus, in dubio juſta cauſa præſumitur, neque ratio exigitur nam ſtat pro ratione voluntas, quod tamen ſecus eſt de Jure Naturæ & interdum Civili, ſi ſcilicet Princeps ad poſtulationem partis reſcripſerit, ubi ſub & obreptionis quæſtio integra eſt, quà pendente, Reſcripta nullius momenti ſunt, & toties ei locus tribuitur, quoties ad falſa narrata emiſſa, vel judicatis contraria reperiuntur, *Mev. p. 2. D. 183. 197 & 295. n. 11.* Gail L. *2. O. 58.* idque procedit licet Imperatoris Mandatum ſit non enim Imperans ſed referens falſitatis arguitur, ſemperque Regula ſubintelligitur: ſi preces veritate nitantur *C. 2. X. de Reſcript.* Gail. d. l. juncta *L. 5. C. ſi con. jur. vel util. publ.* niſi ex motu proprio, *C. 13. de Præb. in VI.* vel ſecundum mores hodiernos ſine clauſulâ ſint, ubi ſimpliciter paritio injungitur Dn Stryck. uſ. mod. *T. d. LL.* §. *7.* quodnam vero inter duo reſcripta ſibi invicem contraria alteri præferendum ſit, docet. Mev. *P. 2. D. 182.*

§. XI.

De ſubjecto nunc tranſeo ad objectum juris, quod comprehendit omnes res, quæ ita comparatæ ſunt, ut leges de iis fieri illisque applicari poſſint, Hopp. *ad* §. *1. d. 7. & 7.*

§. XII.

Finis denique legum eſt ut juſtitia vigeat, ſcopus vero, ut Reipublicæ tranquillitas obſervetur & felicitas vigeat, hæc enim ſuprema lex eſt *T. 5. ff. de Decret. ab ord. fac.*

§. XIII.

Antequam vero tractatu legum abeamus, pauciſſimis ſaltem addendum eſt quod leges regulariter non niſi caſibus futuris applicentur, neque ad præterita, imprimis vero pœnalia extendentur, porro quod ad neminem niſi jam natum & exiſtentem pertineant, & tandem non niſi ſubditos obligent, Knipſch. *de Civ. Imp.* L. *2. c. 10. §. 69.* Phisdp. *Uſ. Pr. Inſt.* L. *1. Eccl. 4.* & de Caſibus fiant frequèntibus, de quibus in diſcurſu plura.

CAP. IV.

DE RELIQUIS JURIS SPECIEBUS.

§. I.

EXcellentia materiæ propoſitos nonnihil jubet exire limites & per digreſſum de alio quoque ſollicitum eſſe. Licet enim Rubrica ſaltem Juris civilis mentionem faciat, tamen occaſione legum humanarum campus panditur tranſeundi per reliquas jurium ſpecies & oſtendendi, quatenus hactenus recenſita poteſtas circa jus Civile applicari poſſit Juri Divino, Naturæ & Gentium, de quibus monendum eſt, quod ea huc non adeo quadret, nec ultra legitimos terminos extendenda, & huc trahenda ſit, ordinis ratio, ob dignitatem manifeſta, prærogativam & primum locnm ttibuit Juri Divino DEUS enim ſupremum omnium Gentium ſeſe conſtituit Regem & Dominum Dominantium, hinc vi Divinæ & legitimæ Majeſtatis Legislatorem egit & Jura populo ſuo præſcripſit, quorum efficatia omnes obligat, adhibitâ tamen diſtinctione inter *Morale*, *Ceremoniale*, *& Forenſe*, hujus iterum in *univerſale & particulare.* Hinc argute Brunnem: *ad* L. *1. C. d.* LL. inquit ubi

ſe

se habet judex ad principem, ita se princeps ad Deum, hinc leges à Divina Majestate latæ, hominum dispositioni non subjacent, nam ut Magistratus Majestatis imperia patiuntur, ita Majestas à Deo dependet, quod Imperator M. Antonius Phil. verissime expressit, inquiens, Magistratus quidem de privatis, Princeps de Magistratibus, Deus autem de principibus decernit, hinc Magistratus nunquam Divinitus institutas leges infringere poterit, quas parendo excipere oportet, ut inferior Superiorum impetrata. Principum Placita & Constitutiones insuper certo saltem populo, Leges autem Divinæ universales perpetuæ, omnique generi humano latæ sunt, Grat. *de J. B. & P. L. 1. C. 1. th. 15. n. 2.* imprimis autem Jus Forense universale; (imo & Particulare, vid. Lauterb. *Diss. de Consil. p. 57.*) præbet utilitatem, ejus præcipuas Leges in compendio quasi allegavit, Titius, sæpe alleg. *C. 3. §. 5.* cujus verba sunt sequentia, *Lex Politica Universalis & perpetua est Decretum Voluntatis Divinæ expresse promulgatum, quo Deus omnes homines, intuitu actionum indifferentium exactissime obligat, vel iis licite quid agendi jus tribuit, hujus generis esse censentur (I.) Lex pœnalis de homicidiâ capitaliter puniendo, Gen. 9. v. 6. C. (II.) Dispositio qua Marito Imperium in Uxorem conceditur, Gen. 3. v. 16. 1. Cor. 11. v. 3. (III.) Leges Connubiales, Lev. 18. (IV.) Prohibitio poligamiæ, Gen. 2. v. 22. & 23. 1. Cor. 7. v. 2 seq. 1. Tim. 3. v. 2. (V.) Prohibitio Divortiorum, Gen. 2. v. 23.* quibus adhuc multæ aliæ addi possent, quas tamen brevitatis studio mitto ne falcem in Messem *Dn*: Theologorum mittam, omittenda tamen non est Jurisprudentia Ecclesiastica, quæ versatur circa Divina negotia, quatenus respectus justi in ea cadit, quæ ex summâ potestate Principum fluit, & Principibus nostris jure post liminii asserta est, sec. *Nov. 6. pr. Can. duo sunt. 10. Dist. 96. R. J. d. Anno 1605.* §. und nach dem *Renck. L. 3. Cl. 1. c. 1. n. 14. seq. Carpz. Juris pr. Eccles. Lib. 3. Def. 1. Boehm. de J. & J. §. 7.*

§. II.

Hisce pro instituti ratione excussis, ordinis ratione sequitur jus Naturæ, in quo definiendo dubii hæsere Philosophi & ICti, communiter asserentes esse dictamen rectæ rationis, sed secundum captum meum ita definiri potest, *quod sit regula (seu complexus regularum:) hominibus à Deo mediante intellectu, & interno motu, sub metu iræ, & pœnæ divinæ præscripta, ut secundum illam instituant actiones, honesta faciant, turpia fugiant, ad obtinendum finem ad quem sunt conditi, conf. H. Grot. de I. B. & P. L. 1. C. 1. §. 10.* Hoc igitur, quoniam Deum autorem habet, sequitur *illud fixum & immutabile esse*, naturalia siquidem jura, quæ apud omnes Gentes peræquè observantur, divinâ qudam providentiâ constituta semper firma atque immutabilia manent §. *11. I. de I. N. G. & C. § f. I.*

de leg. agn. tut. licet argumento *L. 6. ff. de l. & l.* mutationi obnoxium videatur, quæ Lex tamen non fugitivo, sed accuratiori oculo aspicienda venit, licet enim jus Civile aliquid addere vel detrahere dicatur juri Naturæ, nihilominus tamen firma manet regula quod jus Naturæ sit immutabile, adeo, ut ne Deus quidem illud mutare possit, etsi res de quâ jus naturæ disponit mutationem recipiat, Brautlach. *jur. Publ. L. 3. C. 1. §. 7.* Struv. *S. I. C. Ex. 1. th. 58. Grot. de I. B. & P. L. 1. c. 1. th. 9. n. 5.*

§. III.

Præter adducta jura etiam aliud occurrit, apud Gentes in viridi observantiâ positum, quod ICtis & Philosophis juris Gentium nomine venit, quod ratione originis à communi Legum naturâ & regulis recedit, & ratione causæ efficientis â prioribus est distinctissimum, omnes enim leges à superioris sanctione vim & originem trahunt, hic autem hoc non obtinet. Gentes enim sibi invicem sunt pares, itaque videtur nulli Genti potestas fuisse Universalem legem condendi, & sic jus Gentium deficere, sed res prorsus aliter se habet, dari enim jus Gentium, certos mores & ritus inter Gentes ad certam juris speciem referendos, omnes consentiunt, explosâ tamen eorum distinctione *in Jus Gentium primavum & secundarium*, proprie enim unicum est jus Gentium, ideoque termini hujus Divisionis non sunt ex jure Civili Conf. Hopp. *ad §. 11. I. de I. N. G. & C.* ortum ipsius sagaci animo investigavit præter alios etiam Grotius inquiens: quod sit repertum temporis & usus, & licet nulla expressæ sanctionis vel divinæ vel humanæ vestigia extent tamen tacite inter Gentes, receptum est, & diu antequam populi ad hunc modum excreverunt, idque propter hominum necessitatem & utilitatem communem Colleg. Argentor. *tit. de I. & I. §. 18. 19.* Hinc objectum ejus maxime sunt adiaphora, non absolute necessaria sed propter communem utilitatem bona, quæ tamen ex particulari ratione quandoque in hac vel illa republica restringuntur, Srruv. *S. I. C. Exerc. 1. thes. 19. Wurms. ex ex jur. publ. 1. Q. 3. Ex. I. Q. 1.* Frustra autem quæritur an jus Gentium apud omnes Gentes, etiam barbaras in usu sit, quamvis enim a barbaris non adeo sancte observetur ut a cultioribus, obligantur tamen nihilominus etiam istæ, ita ut cultiores ab iis pœnam possint sumere, si id violaverint.

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De Autoritate juris circa Principes & Status Imperii.

§. I.

DImissis anterioribus, ratio jubet ut uberius expendatur materia proposita, nam Dissertatio hactenus habitâ de potestate Statuum Imperii & Autori-

toritate contra leges communes, revocant nos ad altiora, ut nunc dispiciamus an Legislatiores ipsi legibus vivant vel iisdem soluti sint? & ex antecedentibus forsan quis facile concludere posset, eos ob recensitam in leges potestatem iisdem plane solutos esse, quod & disserte dicitur *in L. 31. ff. de LL. L. 14. §. 1. de manumiss.* Ubi Imperator solutus dicitur Legibus & facilis est responsio, scil. legibus naturalibus & civilibus non est solutus, quia horum respectu non consideratur ut Princeps, sed ut homo, Principis enim Potestas saltem est Civilis, unde ea quæ sunt juris Gentium tollere non potest, vid. Franzk. *Ex. 1. q. 8.* neque est solutus legibus fundamentalibus, quibus fidem obstrinxit Jurejurando cum inauguraretur, hæ enim quasi ex jure Gentium sunt, *C. 33. X. de jurejur.* quin & in legibus Civilibus ratione uti Principem decet, ut nec eas ipse facile transgrediatur, juxta illud aureum Theodosii *in L. 4. C. de Leg.* Nihil Majestate Regnantis dignius esse, qaam legibus se allegatum Principem profiteri, & illis submittere principatum, quod & Antiochus III. laudabiliter observavit, missis ad singulas Civitates litteris his verbis, *Mandatis meis non obtemperetis, si non sint è Republicâ, aut si quid contra leges Statutaque Majorum scripsere*, imprimis autem id notandum, dum à nemine magis fidem servandam esse, quam à Principibus Magnatibus, aliisque personis publicis, nam apud Principes simplex fides tantum valere debet, quantum apud privatos Juramentum valet *Carpz. d.L. Reg. cap. 3. S. 8. n. 8.* nam doctrina quæ fallendi artes docet, ipsum jus naturale evertit, & hominem homini, Civitatem Civitati insociabilem reddit *R. si & d. Jur. publ. L. 1. tit. 1. §. 29.* & maxime pacta cum subditis inita Religiose servent vid. *Instrum. Pac. art. 7.* ibi *salvis pactis cum subditis Rec. I d. Anno 1654. §. 171.* exemploque sint aliis ut nunquam fidem frangant etiamsi sub necessitate publica eo adacti sint, neque enim hoc ipsum nexum obligationis tollit, quia accidens est, quod formam non mutat, neque metus omnis officit *Rhet. d. l. L. 3. T. 2. §. 3. 4.*

§. V.

Misso nunc supremo Principe, inspiciamus, an & hæc statibus Imperii applicari possint? & quidem si illud axioma Commune publicistarum: Tantum posse quemlibet Principem in suo Territorio, quantum Imperator in Imperio, verum foret, quo omnes ferè post Castrensem usos fuisse Testatur *Klock de Contribut. c. 4.* fortassis non frustra de hoc dubitare posses, sed enim vero improbant hunc modum loquendi Paurmaisterus, Limnæus aliique plures, statuentes, periculosam esse hanc loquendi formulam, quasi nefas sit instituere comparationem inter utrumque potestatis genus, alii vero amplius progressi, hoc axioma falsitatis prorsus accusant, videtur tamen hæc assertio

tollerari

tolerari posse si sano sensu intelligatur, fruuntur enim status in ditionibus suis plenissima jurisdictione atque simili ratione qua Imperator Rempublicam universam administrat, ipsi parvam suam administrant, integrum vero & optimum volumen conscripsit *Mulz*, qui omnia tam Imperatoris quam statuum Jura, præeminentiam, splendorem, dignitatem, elegantissimis verbis accurate proponit, & unum ab altero separat.

§. VI.

Itaque apparet ex his, Imperium Statuum respectu subditorum Regium quidem, & adeo amplum esse ut trahere aliquid è summâ potestate videatur, ipsosque Jurisdictionem ordinariam & omnimodam, non tamen plane absolutam, & supra legum Civilium potestatem constitutam habere, Lud. Hugo. *C. 2. §. 9. & c. 4. §. 5. & 11. p 147.* Knipsch. *de C. I. L. 1. C. 1. n. 43.* licet enim in dijudicandis privatorum litibus recurri debeat ad jura provincialia, & saltem in subsidium jus Civile adhibeatur, tamen in Illustribus res paulo aliter sese habet, hos enim Litigantes Jus civile æque, interdum vero fortiori vinculo stringit quam subditos, nam & Statuum actus secundum jus Civile judicantur, *O. Cam. P. 1. T. 57. O. I. Aulici T. 2. & 5.* ut sic falsum sit quorundam dicterium quod jure militari utantur, qua Status Imperii, quæ sententia merito aliis displicet vid. Stuck. *Cons. 1. n. 22.* neque enim eadem militiæ ratio in ipsis occurrit, quæ jus militare parit, alias quilibet, qui feudum aliquod tenet, jure militari testari posset, certè Leges testamentariæ, in Ordine Maximiliani de Anno 1512. omnibus præscriptæ sunt, unde sequitur testamentum Principis nullum esse, si solennibus juris Civilis careat, vid. Rosenthal *de Feud. C. 12. Concl. 10. n. 15. seqq.* Ludvvel. *P. 1. de Ult. volunt. c. 4.* quin & ipsorum principum interest ut solennitatibus potius utantur, quam ut periculo suppositæ voluntatis alienæ se subjiciant, Lyncker, *de his quæ Princip. Stat. Imper. libert. perp. accens. sect. 2. §. 7. seqq.*

CAPUT II.

Præcipua juris capita huc pertinentia.

§. I.

DIspositiones juris Civilis interdum majorem Illustrium quam privatorum habere rationem, patet in alienatione in potentiorem, ubi alienans rem ligi-

litigiosam jure suo cadit, quod secus in alienatione in parem vel inferiorem, idque adhuc hodie pro lege est, nullâque contrariâ consuetudine abrogatum, Mev. *p. 2. D. 124. & 175.* & tanquam exceptio peremptoria in secunda instantia admittitur, *it. P. 3 D. 49.* modo animo doloso & fraudulento, & à potentiori exactio jam facta sit, item *P. 3. D. 50. 51. 52.* plures limitationes habet Brunnem. *ad L. 2. C. Ne. Lic. potent. Patroc. lit. præst.*

§. II.

In Tutoris datione insignis se offert differentia, Electoralis tutela dependet ex dispositione Aureæ Bullæ *T. 7.* Privatorum vero tutelam lex relinquit liberæ parentum dispositioni, vid. Wurms. *Ex. 2. Q. 17.*

§. III.

In Testamento, privati pro lubitu inter liberos disponere possunt, salvâ tamen legitimâ, Principes vero, seu Illustres Personæ, nihil in præjudicium Primogenituræ faciunt, Brautlach. I. *Publ. L. 2. C. 6. § 2.* in modo instituendi quoque notatu dignum est, quod privato hæreditas tam per testamentum scriptum, quam Nuncapativum relinquatur, Princeps autem per Testamentum Nuncupativum, hæres existere nequit. *L. 20. C. de Test.* cujus rei elegantissimas suppeditat rationes, *Brunnem. ad Cit. Leg.*

§. IV.

In testamento denique invalido eodem Jure censetur quo Privatus, ex eo enim ne Cæsari aliquid debetur, Philipp. *Us. pr. L 4. Eccl. 49.* nam licet ipse nullis egeat solennitatibus juris, tamen si privatus in commodum principis testamentum condere velit, nullum est non adhibitis solennitatibus nullumque habet effectum, *§ fin. Inst. Quib. mod. test. infirm. L. 3. C. de Test. L. 23. ff de Leg. 3.* idem est si Litis causâ hæres instituatur Princeps Brunn. *ad L. 3. C. d. Test.*

§. V.

Ratione delictorum insignis occurrit quæstio an ipse status Imperii Jurisdictionem suam & potestatem territorialem in alium Statum in territorio suo delinquentem extendere possit, quod affirmant plerumque Dd. *per L. 1. C. ubi sen. 1. vel Clariss.* Lauterb. T. de Jun. quod tamen fortenon quoad hodiernos, sed antiquos Illustres procedit, licet Myler. *de Princ. Imp. C. 37. §. 10. C. 20.*

C. 20. §. 31. contrarium defendat, cui Knipschild, *de Civ. Imp. L. 3. C. 5. n. 79. seq.* accedit, in sequentibus tamen hoc limitat, & ratione Principum Imperii ab eâ sententiâ recedit, §. 114. cui & ego subscribo, nam par in parem nullum habet Imperium, Brautlach *L. 3. C. 1. §. 13.* Principes & Comites, capitaliter delinquentes ubicunque fuerint, non nisi Cæsarem judicem habent, ex *constit. Friderici II. apud Goldast. 2.* der Reichs-Satzung Fol. 22. Wo es aber Fürsten und andern hohen Leuten an ihr Leib, an ihre Ehren oder Recht geht daß wollen wir selber richten auf die Weise, wie es in dem Kayserlichen Reich von alten Zeiten herkommen, non tamen solet Imperator absque Electoribus, si non omnibus, saltem quibusdam, & aliis principibus Imperii, in causis tanti momenti quæ Reipublicæ tranquillitatem concutere possunt; judicare, Vid. tamen Gail. *de Pignor. c. 14. n. 3. & R. J. de An. 1577. tit. 1.* plane in causis fractæ pacis, ubi proscriptio seu bannum condemnato periculum capitis & vitæ infert, judicium Camerale & Aulicum Imperii cognoscere potest, (). Cam. P. 2. t. 22. quodsi vero Status Imperii in communi territorio delictum committit, judex non est alter condominus, sed itidem Cæsar unde firmum manet quod par in parem nullum habeat imperium quod bene, sed frustra Conradinus, ultimus Dux Sueviæ & utriusque Siciliæ Rex objecit Carolo Andegavienſi, ipsum injuriâ avitis Regnis Spolianti, & Carnificis manibus subficienti cervicem ejus.

§. VI.

Paucis hiscæ Exemplis rem nonnihil demonstrasse sufficiet, validiora enim sunt exempla quam verba, & plenius opere docetur quam voce, hâc tamen ratione nec quicqnam detrahitur statibus Imperii, Calculo enim rite subducto, ratio liquet cur prudentissimi LL. conditores, Ordinationes has in Camerâ Imperiali introduxerint, nam sublatis crebris illis diffidationibus, ad conservandam pacem & tranquillitatem publicam, Proceres non amplius viâ facti ad arma prorumpere, sed viâ juris experiri debent, uti præcipiunt divi Imperatores Maximil. I. Carolus V. & alii, qui consensu Statuum, salubertimam de Pace publicâ Constitutionem promulgarunt, *Gail. de Pace publ. L. 1. C. 1. Lud. Hugo de Stat. Rom. Imp. cap. ult. toto.* Hinc ergo Principes spontaneâ voluntate, & quidem vi pacti ad observantiam legum sunt adstricti, Behm. *Introd. ad ff. p. 20.* idque nonsolum quoad actus inter ipsos, sed etiam cum aliis celebratos, hinc in certis territoriis reperiuntur Dicasteria, in quibus etiam subditis litigantibus respondent, Coccejus *C. 32. §. 27. 30. 33.* Brautlach. L. *7. C. 9. §. 13,* Lampad. *P. 3. C. 16. §. 15. & 16. seq.* quâ tamen benevolentiâ

Subiti

Subiti & Privati cautè utantur, non vero abutantur, secus enim peccarent tam contra Regulas prudentiæ quam debitæ obedientiæ, si enim Legis dispositio præcavet & compescit Parentum & Patronorum in Jus vocationem, uti nos docet *Tit. ff. de in Jus vocando.* multo magis id injungitur subditis, Summum Patronum, seu Patrem patriæ convenientibus, cum quo reverenter agere, & in quantum fieri potest verba in factum temperare, & juramentorum, imprimis vero calumniæ prorsus immemores esse debent.

CAP. III.

CONTRARIA ET LIMITATIONES PROPONES.

§. I.

QUoniam vero nulla Regula sine exceptione, ideo ratio jubet aspicere limitationes & exceptiones ne sinistræ opinioni ansa præbeatur, ac si nullâ inter Illustres & Privatos adhibitâ differentiâ eos uno eodemque modo dijudicare, & Dominum cum subdito confundere velim. Haud enim ignarus sum: Omnes LL. non semper omnibus accommodari posse, hinc etiam nec omnia Jura Civilia ipsis conveniunt, multa enim sunt permissa in familiis Illustrium quæ ad amussim Juris Civilis regulari nequeunt sed ipsi contrariantur, nec in omnibus Causis eorum dispositioni subjecti sunt, ea enim in multis limitatur, in plurimis vero, imprimis autem odiosis prorsus cessat, nam lites privatorum non semper quadrant Causis Illustrium, hinc si non per omnia tamen per nonnulla Juris Capita differentias explanabimus, Prærogativis Jutibusque eorum Majestaticis alium in locum reservatis.

§. II.

Statim vero in consideratione Litium statuum occurrit judicium & Forum ubi conveniri debeant, Privati in foro competentis sui Magistratus judicium suscipere, & Legitimo modo neque per saltum omnium superiorem judicem, sed Dominum territorii adire, & primâ instantia alter alterum defraudare nequit, hujus igitur sententiam prius excipere & deinde eam per appellationem ad judicium suppremum devolvere possunt, modo sit Causa ob legitimam summam appellabilis, & Jurisdictio Cameræ in tali processu fundari possit dum non quævis condemnatio ad certam summam licet maximam, sit appellabilis, nisi descendat ex Causa Civili, neque Princeps Jus de non ap-

pellando habeat, constat enim de quibusdam planenon, Mev. *P. 3. D. 187.* nisi in Causa protractæ vel denegatæ justitiæ appellari posse, & talis ordo observatur in Causis Privatorum ne vero Principes & Status Imperii deterioris quam Privati sint Conditionis vel causæ eorum unius instantiæ alea periclitarentur ipsis in primâ instantia concessum est Jus Austregarum de cujus ordine divisione & processu accuratè & latius disserit Coccejus *C 32. §. 27.* Meier in C. J. A. *Tit. de judic. th. 256. seq.* quia secus vel coram se ipsis litigare vel statim ad supremum Judicium pervenire coacti forent, cum tamen Cameræ ICto in prima instantia nequidem quoad Inmediatos fundata sit Coccejus *C. 32. §. 23.* nisi in casibus exceptis, quos collegit, ab eo cit Gail. *1. O. 1.* ab his vero austregis parti gravatæ appellatio demum competit ad superius judicium. Non solum autem Jure Austregarum fruuntur, qui actu secundo status sunt, sed etiam Appanagiati, imò liberi omnes utriusque sexus, Principum & Comitum, ut & Uxores.

§. III.

Altera differentia quod scilicet statûs immunes sint, à præstatione Juramenti Appellationis, uti novissimo comprobatum est exemplo in causa Abbatis Fuldensis in Dicasterio Francofurtensi. vid. *R. J. de An. 1654. §. 117. eq.*

§. IV.

Porro in materia processus tertium sequitur privilegium seu differentia, nam privatisincumbit Juramentum Calumniæ, quod vero statibus eorumque intuitu etiam consiliariis eorum actualibus, si Principi patrocinium præstent, remissum est per *R. J. de An. 1654. §. 43.* quia is qui officii ratione agit non censetur Calumniari, accedit Principum ipsorum dignitas, in quam non censetur cadere calumnia vid. tamen de Juramento revisorio *Roding. Pandect. Cam. pag. 932.* Occasione Juramentorum monendum est; est quod Generalis asseveratio Illustrium bey Fürstlichen adelichen Ehren. Hodie de consuetudine vim Juramenti habeat. *Knipschild d. Civit. Imp. p. 229.* Mynf. *Cent. 1. obs. 17. Besold. Thes pract. voc.* Land und Reichs-Fürsten it. Fürsten-Recht. Gail. L. *2. O 59. Struv.* S. J. C. *Exerc. 17. th. 11.*

§. V.

In ipso quoque judicio Immunes sunt Illustres à satisdationibus eitiamsi Fide-

Fidejussores haberi possint *Frantz. ad ff. Tit. de Satisdat. §. fin. Hopp. pr. Institut. de Satisdat.*

§. VI.

Missa materia formali seu processu sequitur personalis, in eaque primo loco occurrit minorennium Tutela, ubi multa singularia occurrunt, quorum præcipua sunt: quod Tutor Illustris ex bonis pupilli alimenta vel victum & amictum pro se & sua familia capiat, hinc etiam prohibitio donationis Tutorum cessat in Illustribus Tutoribus, nec exigitur redditio rationum administrationis, quam nunquam petitam fuisse Testatur *Coccejus Cap. 29. §. 14.* qui in eod. cap. reliqua docet singularia Tutelæ illustrium.

§. VII.

Ratione tutelæ monendum est, quod ea per Constitutiones Imperii, in Electoribus usque ad annum XVIII. duret, quo impleto ipsis Majorennitas, jus standi in Comitiis & in Conventu Electionis Imperatoriæ concessum est, Coccejus *Cap. 29. passim.*

§. VIII.

Quæstio agitatur inter ICtos, an durante Patriâ potestate, ipsis competat beneficium SCti Macedoniani, quod quidam negant, sed hi de summis loquuntur Principibus, superiorem non recognoscentibus, quorum actus non secundum Jus Civile, sed secundum Jus Gentium dijudicantur, Principes vero Imperii, cum in Contractibns Jure privatorum utantur, idem beneficium habebunt, nam & Patria potestas æque inter Principes locum habet, & causa finalis SCti Macedoniani in Principum liberisnon cessat, vid. Schilter. *Ex. 27. §. 77.*

§. IX.

Ratione Fœminarum Illustrium, quoque occurrit insignis differentiâ & juris dispositio, arbitrium non nisi Mas regulariter ferre potest, quod cessat in Fœminis Illustribus, Jurisdictionem habentibus Bœhm. *T. de Recept. qui arbitr recep. §. 2.* hisce vero fœminis, Jurisdictionem habentibus, denegant quidam Beneficium SCti Vellejani, Laut. *h. T.* Schrag *ad ff. h. T.* rationem reddit Carpz. *P. 2. C. 15. Decis. 9.* quia indignum esset has fœminas fragilitatem

allegare velle, & non abs re videtur in hiſce ceſſare hoc beneficium, nam verba & aſſeverationes eorum, qui regnis vel territoriis præſunt, & Majeſtatem vel Regalia habent, ferè Juramentis æquipollent, hinc etiam promiſſiones & aſſeverationes eorum ſervandæ ſunt, quâ ratione exulat hoc beneficium, ſed in reliquis Illuſtribus res aliter ſe habet, illæ enim ordinariis juris beneficiis utuntur, Stryck. *in not. ad* Lauterbach *T. de SCt. Vellej.*

§. X.

In multis aliis juris capitibus, egregiæ reperiuntur differentiæ & prærogativæ, quæ etiam in eo conſpicuæ ſunt, quod donatio 500. ſolidos excedens, non valeat absque inſinuatione judiciali, §. 2. *Inſt. de donat.* L. *36.* §. *f. ff. h. T.* ſecus autem eſt in donatione Principi vel à Principe facta Lauterb. *comp. jur. h. T. Brunnem. ad* L. *34. & Authent. Cod. item à Priv. de Donat.*

§. XI.

In acquirendis rerum dominiis in jure varii permittuntur modi, inter quos etiam inventio, occupatio, venatio, de quibus in *Inſt. T. de R. D.* agitur hodie vero Legum diſpoſitio valde reſtrinxit antiquam licentiam, nam omnes respublicæ, & quæ antea nullius erant, ut Gemmæ, Margarithæ, Succinum, omniaque mineralia, ut & venationes ferarum, Principibus reſervantur, nec quis harum rerum uſum ſibi aſſerere poteſt, niſi Conceſſionem Principis probaverit, ſecus enim pœnam eum incurrere dicendum eſt cum Dd. *& Hopp. ad* §. *12. I. de R. D.* cujus fundamentum partim ratione politicâ, partim vero æquitate nititur, nam Grot. L. *2. C. 12.* §. *5.* elegantiſſimè aſſerit, quod ex his reſervatis, nemini læſio inferatur, & quod æquiſſimum ſit res quæ antea in Dominio nullius erant Principi aſſignare, quo dignitatem ſuſtinere queat.

§. XII.

Poſt acquiſitionem Dominii ſequitur etiam conſervatio & amiſſio ejus, quod non ſola traditione, ſed alio etiam modo in alium transfertur, unde ortæ ſunt uſucapiones & præſcriptiones, in quâ materiâ juris Rigor limitatur quoad Illuſtres, nam cum Privatorum Actiones & poſſeſſiones rerum mobilium & immobilium, Corporalium & incorporalium, diebus, menſibus, anno, biennio, triennio, decennio, tandemque longâ & longiſſimâ præſcriptio terminentur, conſtat Principum Actiones, quæ pro Principatu, Reſervatis & Regalibus tuendis, vindicandisve competunt, experiri fatum immemo-

memoriale, & præscribi tempore, cujus initii memoria non extat, Illustr. Baro de Lyncker, *Dissert. de Fato §. 33. & in Dec. Jenens. Cent. 4 D. 302. Cent. 13. D. 120. L. f. C. de Fund. Patr.*

§. XIII.

Circa acquisitionem Dominii vel traditionem rerum, aliud exemplum nobis præbet materia Pactorum, nam nemo de viventis hæreditate pacisci potest, ob turpitudinem voti captandæ mortis, & hæreditas regulariter non pactis, sed modis à Legibus præscriptis defertur, Brunnem. *ad* L. *15. C. de Pact.* & ad L. *4. C. de Inutil. Stip.* in Illustribus autem omnia hæc cessare, ad oculum demonstrant Pacta Confraternitatum Germ. die Erb-Verbrüderungen. Quæ sinistram in Familiis Illustrium præscindunt opinionem, publicum enim præponderat bonum, & tendunt hæc pacta ad conservationem Illustrium familiarum, faciunt ad Pacem & tranquillitatem Imperii, subditorumque salutem, Wurms. *Ex. 3. Q. 21.* effectus Confraternitatis magni sunt, jus vero quod ex hisce pactis uterque acquirit, est, quod illa invita alterutra parte, quocunque modo auferri non possit. It. Wurms. d. l. Q. 22. Coccejus C. 26. modo in feudis regalibus Imperatoris Autoritas & approbatio accesserit, de quibus omnibus in jure publico fusius agitur.

§. XIV.

Ob mentionem hereditatis factam, addendum est quod nullus privatus Testator hæredibus societatem vel communionem injungere possit, quia litibus ansam præberet, nam mater discordiarum dicitur, secus autem & hoc se habet in Illustribus, hi enim heredes suos ad hoc obligare possunt, sic in his prohibitio Juris Civilis non quadrat, de quâ materia latius pro & contra disserit Stryck, *us. Modern. ad ff. tit. Commun. div. Coccej. C. 27. §. 7.*

§. XV.

In transactione notandum quod Civitatum Syndici valide transigere possint, non vero Principum seu Cæsaris procuratores ut Syndici, nihil enim in rebus Principis sine speciali voluntate faciendum, proinde & hoc in casu speciale quid est constitutum, *de Transact. Gail.* L. *2. O. 72.*

§. XVI.

Hæc itaque sunto de reciprocâ Juris Civilis & Statuum Imperii Potestate & Autoritate, cui materiæ nunc colophonem addere ratio jubet à benevolo

volo Lectore interim submisse petens, ut hæc ipsa quæ in medium prolata sunt, bono animo suscipiat, de quibus si commodior occasio tractandi in futurum se nobis sit oblatura, non pigebit ad cætera devenisse, interim ad eos, qui de his latius scripserunt provoco & benevolum Lectorem remitto, hic vero subsiste, DEO T. O. M. pro omnibus suis in me collatis beneficiis gratias agens, Laudemque & Gloriam in sempiterna secula tribuens infinitam.

COROLLARIA.

I. Errant qui dicunt jus Justinianeum in Germaniâ non venire nomine juris scripti.

II. Beneficium Legis 2. C. de R. V. etiam competit læsis ex sententiâ arbitri.

III. Regula, quod servus malus sit necessarium malum, in servo est falsa, sed in muliere malâ vera.

IV. Filius non potest succedere Patri in feudo, remisso allodio, agnatus vero id potest.

V. Feuda antiqua & Paterna in effectu non differunt.

VI. Feudum emtum etiam est beneficium, licet titulo oneroso quæsitum.

VII. Secularis Cæsarea Jurisdictio, Legibus soluta est, plane non obstante Capitulatione Cæsareâ.

VIII. Jus Naturæ & Gentium saltem unicum est, & immutabile.

PROBLEMATA.

I. An præcatium sit contractus?

II. An solus verus Dominus Dominium suum alienare possit.

III. An quis invitus Patriæ potestati subjiciatur?

IV. An Legitimatio per subsequens Matrimonium inducat jus primogenituræ?

V. An Contractus feudalis referri possit ad contractus bonæ fidei?

VI. Quale sit feudum, si culpa, e. g. felonia remittatur?

VII. An sit feudum novum vel antiquum, si Dominus investiat filium, abstinentem à paternâ hæreditate?

XXIX.